



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

uandis, preciosum sanguinē effuderūt, dignas & nos in hac die pro eorū martyrio laudes, altissimo cū munerib. offeramus, cui est honor & gloria in secula seculorū, Amē.

VITA BEATI ALBERTI DE MONTE DREPANO CARMELITAE, AVTHORE, NI FALLOR, IOHANNES MARIA POLITIANO. Is enim scripsit beati viri vitam, sed MS. codex eius nomen non habebat: id quod sepe non sine dolore videmus in eiusmodi libris. Scripsit verò etiam Baptista Mantuanus Vitam eius Carmine Sapphico. Stylum simplicem mutauimus in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem capitibus.

7. Augusti.
Cap. 1.



A tempestate, qua serenissimus Rex Petrus regnum Cataloniae & Siciliae obtinuit, fuit Benedictus quidam, nobili stirpe progenitus, dictus Adalbatibus, quae est praecleara apud Siculos familia. Duxit verò uxorem Iohannam, generis nobilitate ipsi non imparem, in Castro montis Drepani ortam: apud quem montem est monasterium fratrum Ordinis beatissimae matris Dei, qui Carmelita vocantur. Dicitur autem Drepanense monasterium. Porro istorum coniugum erat coram Deo vita integra & mores inculpati. Cumq; in matrimonio pariter annos ferme sex & viginti exegissent, nec prolem vllam procreassent,

Vorū parentū Alberti.

Vori illius affectus.

tandem communicato inter se consilio, beatissimae Mariae virgini votum mente syn-cera nuncuparunt, si ipsa pro solita humanitate & benignitate sua eis prolem impetraret masculinam, eam se ipsius Ordini perpetuò consecratos. Eo voto facto, in ieiunia, preces, eleemosynas incumbunt, vt dicta factis confirmet. Nec verò multi praeterire dies, & praepotens Deus annuens voris illorum, Iohanna praestitit, vt è suo marito se sentiret grauidam. Porro Benedictus vir eius, vidit in formis ceruum mirificè radiantem, è suae coniugis vtero procedentem: nec dissimilis visio eius coniugi oblata fuit: mutuoque, quid vidissent, sibi indicarunt, flexis genibus gratias agentes Deo & sanctissimae Virgini. dixitque postea Iohanna: Si ea, quae videre nobis licuit, suum habitura sunt effectum, magnus erit profectò hic puer coram Domino. Vbi deinde partus aduenit tempus, filium peperit, cui sacri baptismatis fonte abluto, Alberti nomen imposuit, non sine instinctu diuino, cum apud Siculos haecenus vix quisquam ita esset appellatus.

Cap. 2.
Ad studia literarum ad-mouetur puer Albertus.

Religio matris eius.

Spōsalia eū verbis de futuro matrimonio.

Cap. 3.

Attēde prudēs & humile pueri re-sponsū.

Postquam autem nonnihil creuit puer, liberalium artium studijs est admotus. Ille verò sancti spiritus gratia ornatus, literis benè eruditus, & optimis moribus instructus, parentibus charus, ciuibus acceptus & amabilis fuit. Iam annum octauum attigerat, & quidam praecipuae nobilitatis viri, eum poscebāt sponsum addici puellae cui-dam, quae regio stemmate nata videretur. Pater eius, illorum tandem flexus precibus, rem ad uxorem refert, putans eam non alienam fore ab eius rei consensu. At illa posteaquam audiuit maritum talia dicentem, valdè obstupescēs, ait ad eum: Miror prudentiam tuam vel in animum inducere potuisse, vt ea proponeres, quae fieri nefas sit. An verò iam prorsus immemor es benignissimi Creatoris tui, qui nos tanto voluit afficere beneficio, intercedente pro nobis sacrosancta Virgine Maria? An non danda nobis opera est, vt Deo & sanctissimae matri eius persoluamus id, quod polliciti sumus? Albertus filius noster non foeminae, sed Deo coniungendus est, & sacrae religioni copulandus. His auditis, pater Benedictus, diuino permotus timore, obtulit, nec vllam voluit eius rei deinceps facere mentionem. Non debet autem mirum videri Lectori, quòd diximus, Albertum puerum tenellū, sponsum à quibusdam expetitum. Eiusmodi enim matrimonium, per verba de futuro cōtractum esset, quod apud eius regionis nobiles frequens est.

Porro mater Iohanna beatum puerum Albertum in cubiculum acciuit, & omnia ei exposuit, tum de conceptione eius, tum de visionibus parentum: simul etiam indicans, quid Domino promississent. Ille verò cum verba matris probè cepisset, humiliter ei respondit: Ego, mater, non sum mei iuris, sed parentum meorum in quo salutariter me sentio contineri. Quid igitur, mea mater, me vis facere? mundo ne seruire, & temporarijs perfungi honoribus, vel potius amare Christū, & illi in sacra religione perpetuū exhibere famulatum, vt possim aeterna apud illum vita frui? quod quidem vos

illi promissis. Respondit Iohanna mater: Equidem, mi fili, votum, quod nunc cupimus, nolum esse irritum: immò verò toto pectore oratum te velim, vt quod polliciti sumus, exequamur, & dicta factis compensemus. Ait illi Abertus puer: Faciam, mea mater, quòd hortaris. Cumque pater venisset domum, & cum vxore ad mensam accumberet, coram illis dixit puer Albertus: Non comedam, nisi mihi benè precemini. Tum illi pio animi affectu dixerunt: Benedicat tibi Deus, & dirigat gressus tuos. Ea percepta benedictione parentum suorum, abiit ad monasterium Drepanense fratrum Carmeliticis instituti, à castro montis Drepani ad duo distas milliaria. Quòd cum peruenisset, petijt sibi donari habitum eius instituti, optans illic apud fratres commorari. At Prior siue praefectus cœnobij, ijs pueri sermonibus acceptis, non sine multa admiratione, quòd non nesciret generis eius nobilitatem, noluit eum in fratrum sodalitatem admittere. Itaque pius puer ad parentum aedes moestus se recepit. Nocte proxima, cum parentes eius sopori se dedissent, beatissima Virgo eis apparuit, seuerèque eos obiurgans, minitabunda dixit: Vos id quod mihi polliciri estis, non redditis, & rem alienam apud vos detinetis. Filius vester è vestra quidem carne genitus est, sed mihi voto perpetuò obligatus. Quòd si vos illum famulum meum mihi non reddideritis, breui morte scèdissima vos extinctos sentietis. Ex his nimio illi terrore consternati, expurgantur: confestim ad monasterium illud properant, Priori & fratribus, quid viderint & audierint, exponunt: filium votiuum vltro illis exhibent, orant vt intra paucos dies habitu monastico induatur.

Puerul^o petit monasterium.

Si quid voluit Deo, nè moreris reddere.

Is dies postquam aduenit, pura quo vestes erat monasticas accepturus Albertus, nobiles omnes ad tam pium spectaculum confluunt. sanctus puer Albertus ex more sanctum habitum induit: vestes suas, quibus hactenus vsus erat, proprijs manibus pauperibus elargitur, vitam mox viuere incipit sanctissimam. Id verò cernens antiquus hostis, arte veteratoria eum à salubri proposito nititur reuocare, in ipsi primis conuersionis initijs, poenitentiae studijs incumbentem & precibus inharentem, sub elegantissima mulieris forma aggreditur, & quandà vultu mentiens pietatem, non sine gemitu ita compellat: Me miseram, quidnam factura sum tui amore vsque adeò occupata, sed tuo consortio destituta, cum ego nihil optarem magis, quam te habere maritum? Sed quæso te, nè me tam illustrem & speciosam puellam deseras: nec tibi fas est tam vili & abiecto vti habitu, cum sis nobilis: planè redeundum est ad seculum. Ego tam decora & amabilis, præcipuè nobilitatis stirpe progenita, opibus & copijs huius mundi, in quibus est multa vitæ securitas & felicitas, egregiè abundo & affluo. Quid igitur in his sordibus perpetuò decreuisti permanere, cum certum sit, non posse te hoc asperum & acerbum vitæ genus, tantumque pondus perferre? Oro & obsecro, iuuenis formosissime, quem ego præ omnibus vnice diligo, redi ad paternos lares, iungere mihi legibus matrimonij, & omnibus bonis mecum perfruire. Senties Christi seruus à satana eas proficisci suggestiones & persuasiones, signo sanctæ Crucis se communiens, ita ait: Abi serpens tortuose in flammam tuam, meque missum facito. Non enim vera hæc est, quam præ te fers, hominis effigies, sed maledicta est communitia species tua. Ad has serui Dei voces ille satan euauit, nec quicquam mali ex eavisione Albertus perpeffus est.

Cap. 4. Induit monachi vestes, & suas dat pauperibus.

Diabolicalacia.

Signo sanctæ Crucis fugat demone.

Indè anno absoluto, palam se monastica professione obligauit, quam animo iam tum fecerat, quandò habitum religiosum suscepit. Fuit porrò vita eius valde seuera & aspera, insignis patientia, multaque de se virtutis exempla præbebat. Ferijs secundis, quartis & sextis, egregio cilicio carnem domabat suam, eam assiduis ieiunijs macerabat, in palmitibus, nudo corpori admotis, cubabat, rudi panno tegebat corpus, vestes viles ferre non erubescibat. A vino abstinens, aquæ potum illi præferebat, nè vinum blandè ingrediens, luxuriæ fomenta suppeditaret. Sextis ferijs pani suo absinthium immiscuit, & vestibus asperis vexabat carnem, nè quas illi aduersus spiritum delectationes parturiret. Ocium semper fugit, in bona opera perpetuò intentus, vt eum malignus hostis semper bonis rebus occupatum inueniret. Castitatis fuit perquam studiosus, obedientiæ sanctæ constanter & integrè addictus. Paupertate & humilitate facillè omnes superabat, doctrinam ecclesiasticam moribus ornatissimis illustrabat. Omne patrimonium suum in pauperes fratres distribuit. Diuina quoque perfusus sapientia, intrinsecus semper cœlestibus fruebatur delectationibus. Infideles Iudæos concionum suarum radijs mirificè illustrabat, nec raro ex illis ad Christi religionem quosdam traduxit.

Cap. 5. Proficetur palam monachatum, Asperitas vitæ eius.

Multos susconuertit Iudæos.

Cap. 6.
Exercitia
eius.

Vt verò perfectius opera diuina exequeretur, diem naturalem, hunc in modum distribuebat: A prima noctis hora vsque ad tertiam, vacabat precibus. Indè corpori nonnihil somni indulgens, post somnum reuertebatur ad exercitia, quibus caro castigaretur. Postea ad matutinas preces persoluendas se conferebat, Deumque cum lachrymis orans, ad ortum auroræ, ibat ad offerendum sacrificium. His absolutis, vt esset ad eiusmodi pietatis officia & exercitia aptior atque paratior, à Tertijs vsq; ad Vespertinas preces, quippiã suis manibus operabatur. Porrò Horarijs siue Canonici precibus studiosissimè expletis, ad consueta pœnitentiæ studia se conferebat: quæ quidem tam præclara in eo extitère, vt etiam miraculorum gloria à patre luminum meruerit cohonestari. Porrò ad sacerdotium promouendus cum esset, testabatur se inuitum illo initiari. Non enim fas est, inquit, vt indignus tantum mysterium admittret populo, nec ego me talem reperio, qui possim pro dignitate isthuc exequi ministerium. Verumenimuerò nihil moti Patres id genus sermonibus eius, compulsi sunt eum proficisci Messanam, vbi sacerdotij munus cum multa humilitate & deuotione suscepit: moxque in eadem vrbe haud vulgari admiratione digna miracula per eum Dominus perpetravit.

Cap. 7.

Quodam enim Dominico die, viro Dei media nocte coram altari in ecclesia feruenter orante, lampadis luce templum illustrante, satan illic adfuit, cum volens à sancto opere auocare. Legebat enim tum Psalterium, & ad eum vsque Psalmum peruenerat, cuius initium est, Eripe me de inimicis meis Deus meus. Cernens autem impurus dæmon sancti viri perseuerantiam, conabatur lampadem coram illo extinguere, vt terrore fractus, à cœpto pœnitentiæ labore resilliret. Sed vbi eum vir Dei conspicatus est iuxta lampadem adstare, mox ei adfuit virtus diuina, nec

Psal. 58.

passa est quicquam indè molestiæ ei accidere, lampademque ex dæmonis impulsu cadentem ita seruauit illasam, vt nec luminis, nec olei vllam faceret iacturam. Accidit hoc sub illustrissimo Catalonia & Sicilia rege Iacobo, qui Petro successerat.

Cap. 8.

Circa annum salutis millesimum ducētesimum & octogesimum Fridericus Dux, nomine Iacobi Regis, quem iam diximus, administrabat Sicilia regnum. Qui anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo sexto, aut circiter, in Regem coronatus est. Eius tempore Robertus Rex Neapolitanus Messanam Sicilia vrbe fortissima pressit obsidione, eo consilio, vt & eam ciuitatem & totum Sicilia regnum sibi subiugaret. Interim dira fames vexabat vrbe, nec videbatur vllò humano consilio quenquam illi posse mederi. Tum Rex eam iussit flammis exuri, nè in hostis potestatem veniret. Ipse verò fugam meditabatur in castra Catalonia & Castilia. Itaque conuenere ciues frequentes, multique nobiles & satrapæ, homines doctissimi, nec pauci comites & barones, bellicæ rei peritissimi. Ij omnes gemebant, & dicebant, melius esse sperare in Domino, quàm sperare in principibus, quandoquidem non solet Deus in se sperantes relinquere: visumque est eis, vt ad virum Dei Albertum accederent, rogarent eum, vt præpotenti Deo & sanctissimæ matri eius Preces adhiberet pro populo & ciuitate Messana. Itum est ergò ad eum, & cum esset occupatus offerendo sacrificio, obnixè eum deprecabantur, vt eis apud Dominum ferret opem, sicque dicebant: Iam fame intolerabili perimus, serue Dei. itaque nè desis nobis præsidijs tuis, ad quæ confugimus. Ora pro nobis clementissimum Deum & eius virgineam matrem, vt in tantis periculis nos ab hostibus tueantur, & fame pressos releuent, nec vlciscantur nos propter peccata nostra. Has illorum voces & gemitus vt audiuit vir Dei, inter sacrificandum lachrymatus est, & flexis humiliter genibus, sic orauit: Domine Deus vniuersorum, qui non auertis faciem tuam ab illis, qui toto animo & pectore tibi confidunt: respice de excelsis cælorum habitaculo super populum hunc tuum ad te clamantem, & effunde in illum misericordiam tuam. Pasce fame laborantes, qui olim in cremo manna paviisti esurientes. Extende brachium dexterum, & protege hanc ciuitatem, vt non modò non diffidat de te, sed certò confidat, sine tuo consilio non posse ipsam saluam consistere: sciatque non in multa exercitûs copia spem collocandam, sed in tuo nomine. Succurre Domine miseris, inua eos, qui pusillo sunt animo, nè lætetur satan perditione tot animarum. Hac oratione completa, mox ingens extitit tonitruum, vndè vox instar tubæ audita est, ita dicens: Exaudiuit Deus preces tuas. Hanc vocem non sine multa admiratione omnes audierunt, mirificeque exhilarati, dixere: Tibi Domine gratias agimus, qui meritis huius sanctissimi patris nostri Alberti admisti clamores populi tui.

Exod. 16.

Quam fuerit efficax eius oratio cælitus declaratur.

Simul

Simul autem in vrbis portu visa sunt tres triremes onusta, licet hostes undique & portum & vrbem obsiderent. Ea triremes virtute & beneficio diuino in ciuitatem penetrarunt, atque ex ijs annonæ & comearum in oppidum nocte, cunctis latantibus, importatus est, & pro cuiusque necessitate distributus. Deinde vero nusquam conspicta sunt illa triremes: neque earum patroni cuiquam noti erant. Creditum est à multis, earum gubernatores fuisse Angelos Dei. His vero animaduersis, Rex Sicilia tanto miraculo non immerito obstupefactus, cum satellitibus suis & populo ad sanctum virum accessit, eique ait: Tibi sancte Pater gratias agimus, quod tam humaniter pro nobis peccatoribus intercedere voluisti: planeque nobis persuademus, tuis sanctis meritis nos hodie liberatos esse. Gratijs actis, cum eius manum essent exosculati, lati abiierunt. Creuit inde apud populum opinio sanctitatis eius, sentiebaturque non posse deinceps ab hostibus vrbem propter eius merita expugnari.

Magno miraculo anno nona Messanensis importatur

Per id tempus quidam monachus è cœnobio sancti Saluatoris apud Messanam, apostemate in gutture adeo premebatur, vt medici omnes spem salutis omnem, haud secus atque extincto, præciderent & auferrent. Vt audiuit autem, Messana esse virum Dei Albertum, misit quosdam è Fratribus, qui rogarent, vt ad ipsum in tam presenti periculo constitutum venire non graualetur. Abiierunt illi, & cum ad eum peruenissent, ea, quam par erat, reuerentia illi præstita, dixerunt: Frater noster apostematis molestia miserè afflictus, orat vt ipsum velis inuisere, & tuis precibus malum, medicorum omnium artem & operam eludens, profligare. Misericordia permotus vir Dei, inuit cum illis, & intrans in cubiculum agroti, ait: Non debuisti ad me mittere, frater charissime, qui infirmus sum & peccatis obnoxius. Sed quando tamen & salus & morbus diuino parent imperio, bono animo esto, & spem tuam in Deo reponere. Deinde cum illum Crucis signo consignasset, eius apprehensa dextera, ait: Confidis, frater, in Domino Iesu & pijsima matre eius? Planè, inquit ille, confido, & tue sanctitati me commendo incurabili morbo oppressum. Quæ cum ab illo dicta essent, mox apostematis rupti per os sanius teterrimam reiecit, & pristinae salutis restitutus est. Ea res sanctitatem beati viri vbique diuulgauit.

Cap. 9.

Sancti Dei sevilissimos semper reputant peccatores.

Signo Crucis sanat apostema exitiale.

Cap. 10.

Perlatum quandoque est ad virum Dei, quandam nobilem matronam habere filiam, à demone vexatam. Tum ille ingemiscens, Et quam, inquit, autoritate hoc facere ausus es impure satan? Statim è fratribus quidam indicauit matronæ illi, virum Dei Albertum adesse. Illa cum ingenti charitatis fertiore dixit ad hominem Dei: Spero tuis sanctis meritis diuinitus mihi consolationem adfuturam. Vnica filia mea, diabolica infestatione miserè fatigatur. Quæso vt eam inuisere digneris. Tum vir pius commiseratione affectus, ingreditur ad puellam, eamque salutans, dicit: Pax tecum: impressoque fronti eius Crucis signo, ab illa in dextera maxilla percutitur. Ille nihil motus, dixit: Præbe mihi alteram, pater omnium superbiorum. At malus demon sancti viri humilitate pudefactus, atque eius meritis eneruatus, ait: Hei mihi, quantum crucior sanctis meritis tuis, presentiam tuam ferre non sustinens. Respondit vir Dei: Ille, qui te creauit, & propter scelus tuum è calis te exturbauit, ex hac nobili puella te compellat exire. Ijs autem auditis, puella contremuit, dixitque vir Dei: Egredere è corpore puellæ, Christi nomini consecrato. Et cum rursus eam Cruce signasset, & aqua benedicta aspersisset, diabolus magno quodam instar tonitruum ex-citato sono, cum ignominia recessit: sensitque se puella rectè habere, & tum Deo, tum sancto viro cum gaudio & lachrymis gratias egit. Eius miraculi rumor, ad proceres & prælatos regni allatus est.

Eius humilitatem & patientiam demon non sustinet.

Crucis signo & aqua sacrata pellit demone.

Cap. 11.

Iuuenula quædam Drepani in partu laborabat diebus sex, idque tanto cum periculo, vt iam ceu morti propinqua, à medicis relinqueretur. Aderat illic vir Dei, quem femina illius mater, licet immodico consternata animi dolore, tamen in Domino confidens, adiunctis sibi cognatis & propinquis, lachrymabunda rogauit, vt filia tam desperatè laboranti presentiam suam, prinsquam è corpore abiret, non negaret, addens eam diu illum videre peroptasse. Ait ad eam vir beatus: Vbinam habitas? Illa respondit: Quorsum attinet sciscitari, vbi sint aedes meæ? Veni, quæso, & vide. Abiit igitur cum illa, adiuncto sibi puero suo, veniensque ad aedes, vbi illa decumbebatur, dixit: Pax tecum. Illa vero, quod iam sensuum vsu destituta esset, nihil respondit. Tum vir sanctus digitum suum eius oculo apponens, appellauit eam nomine suo, ita dicens: Margareta, cur adeo doloribus occuparis, vt mihi non respondeas? Profer sermonem, vt matri consolationem adferas. His dictis, ventrem eius oleo vnxit, dicens: Sanet te Domi-

Sanat oleo
partu peri-
clitantem.

Dominus noster Iesus Christus ob merita sanctissimæ matris suæ: & sicut illa absque damno virginitatis concepit, & sine dolore peperit: sic tu absque vlllo mortis periculo edas hanc prolem Domino consecrandam. Dixit, & foemina ad se rediens, exclamauit: Adiua me amice Dei: simulque puellam enixa est in primis speciosam, quam postea Domino dedicauit.

Cap. 12.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, vir Dei erat in terra sancta, vbi Iudæus quidam crebro vexabatur morbo comitali. Adductus verò est à parentibus ad seruum Christi Albertum: qui ait ad eos: Ecquid vultis? Responderunt illi: Vt filius noster nobis incolumis restituatur. Ait vir Dei: Si vultis credere in Dominum nostrum Iesum Christum, & matrem eius virginem fuisse & in partu & post partum, & cætera, quæ ad fidei symbolum pertinent, fiet quod petitis. Illi responderunt: Si in nomine Iesu Christi filio nostro reddideris sanitatem, credemus, & eum, quem prædicas, verum Deum constebimus. Tum vir Dei, edito sanctæ Crucis signo, in hominem comitalem hæc verba pronunciauit: Expellat à te Christus morbos omnes, si vera sunt, quæ ego de illo prædico. Vix ea dixerat, & euelligio homo coram omnibus curatus est integerrime, nec vnquam deinceps illo se fenit morbo infestari. Id vbi videre parentes eius, sacrum baptismum cum illo à viro Dei perceperunt, & admodum religiosè vixerunt. Filius verò secutus est virum beatum, & cum vitam vixisset cum primis piam, in Domino tandem feliciter obdormiuit.

Cap. 13.

Eodem anno cum vir sanctus proficisceretur Agrigentum, flumen quoddam transmisit, quod vulgò Platanum vocant. Vidit autem iuxta fluium quosdam Iudæos transeuntes. Erat autem iter angustum, quippè inter montes excelsos. Iudæis ergò iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulante, subito aqua creuit ultra modum, arreptosque Iudæos cogit natate. Illi cernentes in tam præsens se coniectos discrimen, ad virum beatum, de quo iam auditione acceperant, magnis vocibus clamant: Adiua nos domine virtute Christi tui. Respondit ille: Si in eius nomine baptizari vultis, & toto pectore cupitis effici Christiani, salus vobis præstabit. Tum illi: Nos, inquit, credimus illis, quæ tu prædicas de Christo Nazareno, cupimusque baptizari. Id illis dicentibus, vir Dei super aquas ambulat, ad eosque perueniens, in ipso flumine baptizat eos. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis, vir sanctus Iudæos baptismum iam expiatos, absque vlllo detrimento ex illo periculo in terram eduxit. Qui cum ad suos reuertissent, omnia, quæ in via ipsis accidissent, narrauerunt Episcopo cum multa exultatione, virum Dei tum apud illum, tum apud alios laude & prædicatione efferentes.

Cap. 14.

Eo tempore, quo vir beatus egit Prouincialem Siciliae, quandoquæ voluit visitare provinciam suam. Solebat autem cum scipione ingredi, & socium habebat, qui ferret vas fictile, in quo erat panis & aqua, vnde in itinere sustentabantur. Accidit autem quodam tempore illis iter facientibus, & iam ad monasterium quoddam appropinquantibus, vt socij eius negligentia vas illud in terram caderet, & in multas particulas frangeretur. Ea re valde consternatus frater ille, non audebat ad virum Dei propius accedere. Id spiritu cognoscens vir sanctus, vocat illum ad se, rogat cur solito tardius & remotius sequatur, & quid habeat, vnde tam mœstus sit. Ille rem omnem tremebundus exponit: inbetque vir beatus, vt particulas omnes contriti vasis ad se apportet. Abit ille, vt vas adferat: & ecce cernit illud suæ integritati restitutum & aqua plenum. Itaque incredibili affectus gaudio, fert illud ad virum Dei, & porro cum illo cceptum iter conficit.

Cap. 15.

Alio tempore cum vir sanctus quoddam sui instituti & provinciae monasterium visitaret, & quandoquæ precandi causa cum fratribus esset in Choro, spiritu didicit, quendam fratrem multa erga sacratissimam Christi matrem Mariam animi pietate & deuotione feruere. Sed ei inuidens tortuosus coluber diabolus, ab ea deuotione eum retraxit, animumque eius, cuiusdam foeminae amore inflammauit. Ille verò se sentiens animo saucinum, postposuit pristinam deuotionem, & secum statuit cum ea foemina suam explere libidinem. Itaque quodam die loquitur cum ea, aperit illi voluntatem suam, illa se promptam & paratam offert. Hæc verò non latebant virum Dei. Clam igitur ad locum secretum eum vocat, explicat ei omnia, quæ cum muliere perpetrare deliberasset. Tum ille à sancto viro veniam petit, & illo pro eo orante, priorem erga Christi matrem virginem sibi sensit restitutam deuotionem.

Fratrem lapsum diabolo ca fraude, ad pristinum statum reuocat.

Volbat

Volebat vir Dei hominum fugere frequentiam, & alicubi delirere. Itaque iter in-
gressus est Messanam versus, ubi est Episcopi sedes, atque apud illam in quoddam tu-
gurium sese abdidit orationis & deuotionis causa. Vbi cum dies aliquot mansisset, &
mortis suae tempus aduentare cognouisset, graui correptus morbo, rogauit Domi-
num, ut ipsum ad se euocare dignaretur. Vtebatur autem hac precandi formula: Si
proprio filio tuo non suam, sed tuam mandasti facere voluntatem, non mea, Domi-
ne, sed tua voluntas fiat. Ita ergo ille in orandi seruire positus, & quasi mentis eccla-
stici patiens, audiuit vocem eiuscmodi: Anima tua in sanctorum Confessorum con-
sortium admittetur, gaudijs perpetuo duraturis fruitura. Quauis ergo magna esset
antea vsus precandi assiduitate, at nunc porro diutius in ea perseverauit. Legebat
prophetarum oracula, diuina in eis mysteria contemplans, dulceque illi erat cum
sanctissima Dei matre miscere colloquia. Cernens autem propè adesse extremum
vitae suae diem, acciuit ad se Fratres, & exemplo sanctorum Patrum, mitissima voce
uaticinans: Hoc ipso die spiritus meus est carnis ergastulo liberabitur, & ad Dominum,
qui creauit eum, dirigetur. Eodem autem temporis puncto mecum pariter emigra-
bit soror mea. Quae quidem aberat à loco, in quo tum erat vir sanctus, ad ducenta &
sexaginta milliaria. compertumque est postea, de eius obitu vera Albertum praedixisse.
Deinde orante illo & grauius laborante, Fratres apud illum vigilabant, & preci-
bus suis animam eius Deo commendabant. Sub horam autem vespertinam sentiens
imminere corporis dissolutionem, vir sanctus in genua se submittit, & coram Fratri-
bus sic orat: Domine Iesu Christe, qui cuncta creasti, & omnia pro tua voluntate
disposuisti, conseruasque ea sapientia & prouidentia tua, conserua animam meam
ineffabili misericordia tua: tuere illam ab hoste maligno, & perduc eam in confor-
tium electorum tuorum. Deinde legit Psalmum: Deus, in nomine tuo saluum me
fac: cui adiunxit Psalmum, In te Domine speraui. Illo absoluto, cum dixisset semel
orationem Dominicam, & bis Angelicam salutationem, iterum repetijt Psalmum,
In te Domine speraui. Inde ad extrema tendens, sublatis in caelum oculis, animam
suam Deo & beatissimae Matri eius commendauit, eorum implorans opem: & paulo
post alta voce dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Quibus di-
ctis, à Fratribus orantibus anima eius instar nebulae candidissimae visa est vno volatu
ex ore illius recta in caelos contendere. Corpus eius praclaro cilicio indutum, in ter-
ra relictum est. Ad eius obitum campana, quam ille fieri curarat, per seipsam nullo
mouente, insonuit, & odor suauissimus, omnia vincens aromata, ab eius corpore
manauit, adstantes omnes mirifice efficiens. Quamobrem etiam omne mortalium
genus, non modo Christiani, sed etiam Iudaei, tanta rei admiratione permoti, ad illud
confluebant.

Postquam autem Fridericus Dux illustrissimus, frater Iacobi Regis Cataloniae, de
eius decessu certior factus est, cum nobilibus suis venit ad funus, tantique patroni &
aduocati orbitate omnes mœrebant & flebant. Quotquot verò illic aderant, sa-
crum corpus contingere nitebantur. exhibat enim de illo virtus, & sanabat multos.
Vestes eius, causa deuotionis ab omnibus lacerabantur & diripiebantur, singulis
particulam aliquam inde sibi vendicare cupientibus, quòd multa admiranda per eas
Deus efficiat ob merita sancti viri. Cumque exequiae celebrarentur, nobilis matro-
na Renetia de Pallatijs, praeter multa deuotione orans ad corpus eius, à capite abstulit
eam partem, quam almutium vocant, accurateque custodiuit. Quidam enim impo-
nentes illud capitibus suis, omni oculorum morbo liberantur. Iussit verò Dux Fri-
dericus, ut literati omnes ad ipsum venirent, in quibus fuit etiam Episcopus Messa-
nensis Vndericus, & alius quidam Episcopus, compluresque diuersorum ordinum.
Veniit autem Rex Siciliae ad Episcopos & alios: simulque omnes adunati, cum com-
munem suum pro tanti viri amissione dolorem testari essent, inter se consultabant,
quid faciendum esset. Tum verò Archiepiscopus, sano vsus consilio, triduanum indi-
xit ieiunium omnibus, & ut interim precibus & eleemosynis darent operam, & Mis-
sarum offerrentur sacrificia in omnibus ecclesijs, ut Deus in seruo suo dignaretur sua
declarare miracula. id quod re ipsa ita factum est. Nam cum corpus beati viri summa
populi deuotione in mediam maiorem aedem deportaretur, & exequiarum Missae
celebrandae essent, odor longè suauissimus è corpore diffundebatur, cunctis non me-
diocriter id admirantibus. Multi enim morbidi eo odore sanabantur, ita ut corpus
illud

Cap. 16.

Laritat in
tugurio
quodam, vt
possit vaca-
re Deo.Praedictum
um & soro-
ris suae obi-
tum.Psal. 53.
Psal. 30.Migrat ad
Dominum.
Columbe,
legendum
arbitror.
Campana
edit sonum
nullo mo-
uente.

Cap. 17.

Miracula
ad corporis
eius conta-
ctum.Nota de ve-
stibus eius.Odor sua-
uissimus ex
eius corpo-
re multos
sanat.

- illud, quoddam sanctitatis receptaculum à turbis omnibus pro certo haberetur.
- Cap. 18.** Interim lis orta est Cleri & populi de Missa celebranda, Clero dicente, defuncto-
rum Missam dicendam esse: Populo contrà affirmante, de Sancto celebrandum esse
sacrificium. Consulebant autem, qui de Clero erant, Ius Pontificium: populus verò
ad preces se conferebat. Tandem Archiepiscopus mandauit, vt diuinum expectare-
tur consilium, omnesque Deum obsecrarent, vt indicaret ipsis, quomodo veller ho-
norari & ornari sanctum suum. Cunctis igitur in preces incumbentibus, subito appa-
ruere in aere duo pueri, albis amicti stolis, iisque auro intextis, dicebantque excelsa
voce cantandum esse, Os iusti meditabitur sapientiam. Et his dictis, mox ab omnium
oculis ablati sunt. Tum verò tam insigni conspecto miraculo, Archiepiscopus & Rex
ceterique omnes statuere, Officium Confessoris anteponendum esse officio defun-
ctorum. Celebrata est igitur solenniter Missa Confessoris à Clero vniuerso. Ea finita,
sub horam nonam corpus ea, qua par erat, deuotione sepulturæ mandârunt. Deinde
Rex & alij omnes id planè decreuere, beatum virum catalogo Sanctorum ab Apo-
stolica Sede inserendum, idque opera & impensis regni. Ad eius enim sepulcrum
properant etiam ex longinquis partibus ægri, claudi, cæci, leprosi, paralytici, & intra
paucos dies curantur. Modus autem curationis, cuiusmodi est: Postquam ad viri Dei
tumulum tribus aut quatuor diebus ieiunijs & precibus vacârunt, & beati viri patro-
cinia implorârunt, media nocte lux splendidissima illos ambiuit, in cuius medio cer-
nebatur vir Dei Albertus candida veste indutus, isque, eis vigilantibus ad sepulcrum ipsius
integram reformabat sanitatem. Tum illi voce magna laudabant præpotentem De-
um, qui talem potestatem & gratiam tribuit fideli seruo suo. Idque vbi rescitit Rex,
itemque Prælati & populus omnis, maiori erga eum deuotione affecti sunt, vsque in
hodiernum diem coruscantibus miraculis in laudem & gloriam Dei, qui est mirabilis
in sanctis suis. Obdormiuit autem in Domino vir Dei Albertus anno à partu Virginis
millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, 7. Idus Augusti.
- Cap. 19.** Eodem anno innumera hominū turba in regno Sicilia ad arma cucurrit propter
bellum illic enatum. Cumque vbiq̄e alij aduersum alios confluerent, multi & no-
biles & ignobiles eam castri partem, quam Rex beato Alberto & fratribus dederat, vi-
occupârunt, & equos suos in templo, vbi humatum erat beati viri corpus, colloca-
runt. Id cum illi ad dies aliquot facerent, & cum equis suis & exirent & redirent, equi
subito extincti sunt, & milites varijs correpti morbis, ita vt pauci euaderent. Quidam
verò ex ijs, qui fugerant, ira incensi, cum suis equis per ecclesiæ habitacula discurrer-
bant, & beati viri arca, in qua corpus eius conditum erat, cecidit in imum sepulcri.
Indè verò extractis arcæ illius partibus, & sancti viri corpore deteeto, visum est illud
in genua procumbere, tanquam à Domino vindictam petens. Eadem autem hora
omnes illi horrenda peste extincti sunt. Id alij, qui foris erant, conspicati, nunquam
deinceps illic habitare ausi sunt. Fratres verò ex eo loco recedentes, corpus abspor-
târunt in eum locum, vbi nunc manet. Prior enim locus parum opportunus erat.
- Tandem tamen communicato inter se consilio, partem inferiorem sacri corporis
Messanæ reliquerunt, reliqua ad cœnobium Drepanensè translata.
- Cap. 20.** Puer quidam, orto incendio, in medias flammæ cadens, Sancte Alberte, inquit,
adiuuâ me, simul etiam beatissimam Dei matrem inuocans. Exiuit ergò ab igne ex-
pers ignis, aitque se beatissimæ Virginis & sancti Alberti meritis flammæ non sensisset.
Porro largas eleemosynas pro facultate sua Ordini præstitit.
- Cap. 21.** Sacerdos quidam audiens Priorem quendam pro concione dicentem, Albertum
sanctum esse, stimulante inuidia, coram populo exclamauit: Tu verò turpiter menti-
ris, & falsa atque commentitia sunt, quæ loqueris. Non est enim sanctus ille Albertus,
quem tu dicis. Eodem momento viscera & intestina omnia maligni hominis, cunctis
adspectantibus in eius genua prolapsa sunt. Accitus autem Chirurgus, ait ad eum:
Non mea opera, sed sancti Alberti ope, si credere voles, liberaberis. Ijs auditis, sacer-
dos coram multis lachrymabundus dixit summo animi cum dolore: O beate Alber-
te, falsum ego locutus sum, tuæque sanctitati per mendacium obtrectaui. Itaque pro-
pter blasphemiam meam merito hæc patior. Sed si me sanaueris, ieiunabo illo die,
qui præcedit diem obitus tui: ipsumque diem, quo è vita abiisti, pro festo habebo.
Proximo die Sole illucescente, sentit sacerdos adesse sibi beatum Albertum, & corpus
suum oleo perungere. Mox surgit sanus, properat ad monasterium, ostendit omnibus
quid esset cōsecutus beneficij, & deinceps quod promiserat, præstare non omisit.
- Quædam

Diuinitus
iubetur Cle-
rus pro illo
tanquam
Confessore
cātare Mis-
sam.

Multi ægri
ad sepulcrū
eius curan-
tur.

Psal. 67.

Cap. 19.

Nota diui-
nam vicio-
nem in pro-
phanatores
loci sacri.

Trāsfertur
sacrum cor-
pus eius.

Cap. 20.
Puer ab in-
cendio libe-
ratur.

Cap. 21.

Pœna san-
ctum virum
blasphemia
infectantis.

Vide vim
voti.

Quædam nobilis matrona tribus annis morbum passâ immedicabilē in vberē, tan-
dē beato Alberto vorum nuncupavit, se in illius honorem curaturam effici tan-
nem argenteam, & tres pauperes fratres vestituram. Nocte proxima in somnis audit
sanctum Albertum ceu medicum sibi dicentem: Si vis sana fieri, mamillam S. Alber-
ti oleo perunge. Surgit illa, confert se in sacellum beati viri, fusâ prece oleo lampadis
inungit mamillam, audit sacrificium de S. Alberto, domum reperens, in ipsa via itine-
ris comitibus ostēdit mamillam sanissimam, multos & gaudio & admiratione afficit.

Cap. 22.
Oleo lam-
padis facel-
li sancti viri
mulier sa-
natur.

Fratribus monasterij, ob populi deuotionem, beati Alberti commemorationem
facientibus, quidam Clerici, malo dæmone instigante, voluere nocte sequenti ima-
ginem eius abolere & perdere. Iam illis euntibus, paralyticus quidam, quem mor-
bum multum, dicit vxori vt surgat & inuestiget, quid rei sit: audiens ex ea collectos ma-
los homines, qui velint sancti Alberti imaginem abolere, ait: Vtinam sanus essem, vt
possem isthuc impedire. additque: Alberte beate, libera me, staboque promissis me-
is, omnesque facultates meas cultus tui augmentandi causa expendam. His dictis,
obdormit, videtque sanctum Albertum tanquam effigiem parieti affixam, ma-
nuque tenentem virgam inprimis luculentam, eaque ipsum tangentem, & dicen-
tem: Sancte omnipotens Deus. Mox euigilat æger, sentit se incolumem, magno ani-
mo progreditur hominibus malignis obuiam, aitque illis: Opera Dei vos conuenit
facere, non satanæ. Illi seiscitatur quis sit, & qua ratione morbo, omnem medicinam
respuente, liberatus sit. Refert ordine omnia, magno illi timore correpti, respiscit,
laudantque Deum in sancto suo. Primum tum in S. Alberti honorem sacellum con-
ditum est.

Cap. 23.

Sanatur pa-
ralyticus.

In castro Drepanensi quidam taxillarum lusu omnem rem suam perdidit tanto
animo dolore, vt pariter à fide deficeret ad desperationem. Et ecce venit ad locū, vbi
erant imagines beatissimæ Virginis & S. Alberti. Eas intuens, dicit ad imaginem S.
Alberti: Toties inuocauit te, & non me audisti in necessitatibus meis. Quid igitur cau-
sa est, vt te sanctum prædicem, cum nulla ratione me potueris iuuare? Absit, vt post-
hac pro sancto te habeam. Tu quoque Maria, quæ Mater gratiæ diceris, pias aures
tuas oclusisti ad preces meas. Indè arrepto gladio, vtrâque imaginem secat, & con-
fessum ex ambabus distillat sanguis benè multus in terram. Vidit id quidam puer, sub-
lataque voce clamat in sacrilegum. Ille audito clamore exit è templo, sed repente
horrendo existente tonitru, fulminis ictu totus in pulueres ad fores ecclesiæ redigi-
tur. Reliqua miracula breuitatis studio omisimus.

Cap. 24.

Nota insti-
gum miracu-
lum in sa-
cris imagi-
nibus.

VITA ET MARTYRIUM S. DONATI EPISCO- PI ET HILARINI MONACHI, PER ADONEM

Archiepiscopum Treuirensis.



ANNO Tusciam ciuitate Aretio, natale sancti Donati Epi-
scopi & martyris. Qui nutritus à S. Pigmenio presbytero,
in titulo beati Pastoris eruditus est non solū in diuinis, ve-
rum etiam in humanis literis sufficientissimè. Cum quo &
Iulianus creuit: & subdiaconus ordinatus, reiecto post-
modum gradu inutilis factus, ad Imperiū adspirauit. Quo
tempore beatum Pigmenium Romæ in custodia mancipa-
uit, & sanctos patrem & matrem Donati gladio occidit.
Donatus verò lector fuga petijt ciuitatem Aretium, & ha-
bitauit cū Hilarino gloriosissimo monacho, seruiens Deo
continuis orationibus & ieiunijs.

7. Augusti.

En habes
hic ordinē
Subdiaco-
natus, &
paulo post
etiam Lecto-
ratus.

Factumque est vt mulier nomine Syranna gentilis, capta oculis, corde verò cæca,
cum vnico filio suo Herculiano nomine, cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir
habitabat, requireret. Quam in fide Christi instructam, ad beatum Saryrum Episco-
pum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui vt fidem ipsius accepit, gratias Deo
agens, indixit ei ieiunium, & vt humiliaretur in cilicio & cinere, & sic deindè cathe-
chizauit eam, & baptizauit, iam ipsam quam filium eius. Et mox aperti sunt oculi Sy-
ranna, cœpitq; clamare: Verè Deus Christus est, qui illuminauit oculos meos. Quod
factum audiens Ampronianus, non multo post attulit filium suum dæmoniacum ad

Catechism^o
ex confue-
tudine Ec-
clesiæ sem-
per Bapti-
simum præ-
cedit.

Cæca & dæ-
moniacus
curantur.

Ecc

bea-

beatum Donatum. Quo orante simul cum Satyro Episcopo & Hilarino, expulsus demon puerum sanum reliquit.

Mortua mulier ad interrogata respondet.

Sed & non longo tempore post vir quidam Eustasius rector Tuscie & exactor fisci, dum occupatus aibi teneretur, superuenientibus hostibus, vxor ipsius Euphrosyna pecuniam fisci abscondit, & paucis diebus succedentibus, absente adhuc viro, defuncta est. Rediens autem postmodum vir eius, inuenit vxorem suam mortuam, & pecuniam fisci sibi celari. Quæ de re non parum tristis, simul pro requisita pecunia, cum etiam principes curiæ supplicia ipsi meditarerentur, fugiens idem Eustasius, venit ad beatum Satyrum & Donatum, & indicauit eis anxietatem animi sui. Stas itaque Donatus super sepulcrum vxoris ipsius, magna voce clamauit: Euphrosyna per Christum crucifixum te coniuro, vt dicas nobis, quid factum sit de pecunia fisci, quia vir tuus pro ea ab exactoribus valde affligitur. Quæ mox de sepulcro respondit: In ingressu domus suffossa latet pecunia, quam queritis. Recepta est igitur pecunia, liberato Eustasio ab impositione calumniæ.

Eccè quam veruſta sit Missæ celebratio.

Verum recepto beato Satyro cum patribus suis, eius loco sacerdoti beatus Donatus suscepit. Cumque die quadam Missam celebrasset populo, & de corpore Christi ac sanguine ipsius populus venerabiliter recrearetur, diaconus quidam nomine Antimus, tradebat sacrum sanguinem Christi, qui subito paganorum impulsu cecidit, & sacrum calicem comminuit. Unde valde tristis tam ipse, quam populus Christi efficitur. Cuius tristitiam Dominus per beatum Donatum illico releuauit. Nam collecta sunt fragmenta Domini calicis, & beato viro allata. Quæ flens ille suscipiens, oratione facta, vas in pristinam formam restaurauit. Quo signo percussis pagani, simul cum Christianis Deitatem Christi confessi sunt, ac circiter septuagintanouem anime in Christum credentes per baptismum saluatae sunt. Multis ergo signis Dominus glorificans sanctum suum, ad coronam martyrii prouexit.

S. Donatus oratione calicem conſtauratur.

Denique tentus tempore Iuliani Imperatoris à Quadratiano Augustali, simul & cum eo Hilarinus vir Dei, iubetur idolis sacrificare. Cui fideliter reluctanti, iussit Quadratianus os lapidibus contundi: Hilarinum verò monachum in conspectu eius tam diu sustibus cædi, donec spiritum emitteret. Deinde beatum Donatum in custodia recludi. Vbi cum innumera miracula Dominus per seruum suum operaretur, misit Quadratianus qui gladio cum percuteret vij. Idus Augusti. Cuius corpus Christiani iuxta ciuitatem cum veneratione sepeliunt. Martyris verò Hilarini ossa in Hostia ciuitate tumulata seruantur.

Corpus sancti cum veneratione sepultum est.

DE S. VICTRICIO EPISCOPO ROTHOMAGENSIS, EX EPISTOLA SECUNDA S. PAVLINI

Episcopi Nolani, quam is scripsit ad illum.

Augusti 7.



Psal. 134.
Esa. 9.
Marth. 4.

* for. in totum aduenit barbari.

Sap. 7.

NOTVM nobis fecit Titius, tuus charissimus frater & fidelis minister in Domino, non quidem te magis, quam in te Deum prædicans, quanta Dominus per te lumina in obscuris ante regionibus accendisset: qui educens nubes ab extremo terra, te quoque in lucem populi sui de extremo orbis eduxit, & clarum fulgur in pluuiam verberem fecit. Sicut terra Zabulon quondam & Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ, & qui sedebat in regione umbræ mortis, lucem viderunt magnam: ita & nunc in terra Morinorum, situ orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui sedebat in latebris, via maris arenosa, extra Iordanem, antequam pinguescerent fines deserti, in ea orta sibi per tuam sanctitatem à Domino luce gaudentes, corda aspera Christo intrante posuerunt: vbi quondam deserta sylvarum ac litorum pariter * in tota aduenit barbari, aut latrones incolæ frequentabant, nunc venerabiles & Angelici sanctorum chori, vrbes, oppida, insulas, syluas, ecclesijs & monasterijs plebe numerosis, pace consona celebrant. Quod quanquam totius Galliæ populis & vbiq̃ gentium Christus operetur, qui totum orbem circumit, quærens dignos se, & per nationes in animas sanctas se transfert, & in vijs directionis ostendit se hilariter, & omni prouidentia occurrit amatoribus suis: tamen in remotissimo Neruici litoris tractu, quem